


DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

JURE RETRACTUS GENTILITII.

QUAM,
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JOHANNIS VOET, J. U. D.
Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ Lugd.-Bat. Professoris ordinarii.
NEC NON
Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in utroque Jure Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,
Publico examini subjicit
FRANTZ ALBRECHT SCHÖNE, Bremensis.
Ad diem 4 *Aprilis horâ locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

Sacri Romani Imperii

LIBERÆ ac ILLUSTRIS

BREMENSIUM REIPUBLICÆ MAGISTRATUI

INCLUTO, FELICI.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, GRAVISSIMIS, PRUDENTISSIMIS

DN. DN. DN.

CONSULIBUS, SYNDICO, SENATORIBUS

PATRIÆ PATRIBUS VIGILANTISSIMIS, DOMINIS PATRONIS, FAUTORIBUS, PROMOTORIBUS

æviternùm

COLENDIS

Hanc;

Ea, qua par est, Reverentia submissè

offert

F. A. Schöne. Auctor.





DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

JURE RETRACTUS GENTILITII.

THESIS I.



Quamvis certissimum sit ex præcipua specie Juris in *RE*, Dominio scilicet, unicuique competere maximum Jus, consistens in libera facultate *l. lex Falcidia* 1. *ad Leg. Falcid.* de rebus suis disponendi easdemque pro libitu alienandi *Novell.* 22. *c.* 2. *l. qua ratione* 9. §. *hæ quoque.* 3. *de acq. rer. domin.* , unde quisque etiam rerum

sua-

suarum arbiter & moderator vocatur, *l. in re* 21. *C. mand.* §. *per traditionem Inst.* 40. *de rer. divis.* Attamen aliquando accidere videmus, ut is, qui Dominium habet, in quemvis alienare seu transferre non possit, eo scilicet effectu, ut ab eodem retrahi nequeat. Hinc proinde hanc in determinatam indefinitamque alienandi potestatem certis limitibus, vel à Magistratu ut in *l. lege duodecim* 1. *ff. de Curat. fur. l. is cui* 6. *ff de V. O.* vel à Testatore. *l. Lucius Titius* 88. §. *Matre* 16. *& l. peto.* 69. §. *fratre.* 3. *d. Leg.* 2., vel à conventione partium: *l. qui Romæ* 122. §. *cohæredes.* 3. *de V. O. l. qui fundum* 75. *de contrah. emt.*, vel denique legibus determinari circumscribique posse, concludimus.

II.

Invenimus enim casus in jure nostro, quibus, cùm aliquid vendere aut locare volumus uni magis, quàm alteri locare ac vendere tenemur, si modo idem & justum pretium solvat. *l. perpensa.* 1. *C. de metall. & metall. l. congruit.* 4. *& l. Prædia* 5. *C. de locat. præd. civil. l. unic. C. non lic. habit. metroc. l. quotiens ult. C. de agr. & mancip.* Cùm autem liberæ rerum suarum administrationis & liberrimæ alienandi potestatis restrictiones animo revolverem, præter alias obtulebat se Constitutio Frederici, quæ habetur *l. v: Feud.* 13., in qua rerum vendendarum potestas & libertas multis valde imminuta & coarctata est. Occasione autem hujus Constitutionis, cùm in animum induxeram conscribere saltem theses aliquot inaugurales, placuit præ cæteris Jurium materiis Nobilissima in foro & praxi *de Jure Retractus Gentilitii* Materia; interea cœptis, annue, Jova, meis.

III. Cum

III.

Cùm itaque non tantùm triste & lugubre sit videre paternas & avitas domos ac antiqua majorum prædia in extraneas manus transire. *l. in fundo* 38. *de R. V. l. Si in emptionem* 35. *de minor. l. lex quæ tutores* 22. §. *nec verò domum.* C. *de administr. tut.*, sed etiam maximopere Reipublicæ intersit, ut ordinum & familiarum dignitas salva maneat, ne etiam sordidæ stirpes splendidissimis & ingenuis surrogentur natalibus. *l. super statu.* 9. C. *de quæst.*, quod facilè per rerum avitarum alienationem contingeret *d. l.* 35. *de minor.* Ideo Consuetudines plerisque in Germaniæ, teste *Gail. observ.* 19. *lib.* 2. & Galliæ *teste Tiraquell. in tract. de retraict. lignagier in princ. præf.* locis, retractum introduxerunt, à Jure Divino, Levit. 25. vers. 25. à Jure Canonico per *c.* 8. *X. de rest. in integr.*, à Jure Feudali *Titius* 2. *feud.* 26. *&* 2. *feud.* 15., à Jure Camerali. *Gail. lib.* 2. *obs.* 19. *Mynsing. Cent.* 3. *obs.* 51. non alienum.

IV.

Derivatur autem hæc vox *Retractus*, à verbo retrahere, quod hoc sensu idem est, ac redimere, recuperare, prout patet *ex l. Imperatores* 9. §. *item rescripserunt* 2. *agros Reipublicæ retrahere Curatorem civitatis debere.* Additur autem Gentilitii, non tam ad discrepantiam retractus Conventionalis, quàm & alterius legalis. Derivatur à voce Gente, quia eo retrahuntur bona de familia seu gente alienata. Græcis προτιμήσις prælatio, prærogativa. Aliis jus recomperæ, jus congrui *Tiraq. d. tract. in præf. n.* 4. retractus linearis, retractus consanguinitatis *Reinking de retract. consang.*

V.

Eſt igitur jus Retractus Gentilitii facultas ſeu jus proximiori Venditoris Conſanguineo conceſſa, ad bona immobilia in extraneum vel etiam remotiorem Conſanguineum alienata intra certum & à Conſuetudine determinatum tempus oblato inſuper pretio redimendi. *Wiſſenbach. ad ff. diſp.* 36. *theſ.* 1. Sed ne longè evagemur hanc materiam impræſentiarum certis cancellis circumſcribamus, ſex præcipua hujus juris requiſita conſiderantes.

V I.

Uti autem in omni negotio rectè tractando prius de perſonis, quibus aliquod jus competat, an habiles ſint, nec ne, diſpicitur, non enim ante juris, quam perſonæ habenda eſt ratio. *§. ult. Inſtit. de jur. nat. gent & civil.*, ſic & nos eundem ordinem obſervantes prius de perſonis agamus. In perſonis itaque retrahere volentibus tanquam.

I. Requiſitum requiritur, ut ſint *Conſanguinei Venditoris*, quod Imperator militari ſermone *parentes in alleg. Conſtit. Freder. vocat. Wiſſenbach. d. diſp. theſ.* 4., ceſſante autem hac qualitate, ceſſat & ipſa actio *Retractus arg. l. Julianus.* 9. §. *Sed ſi quis* 4. *ad ex hib.*, non autem ſufficiet hanc Conſanguinitatem allegare, ſed erit & allegata probanda *arg. l. Prætor ait* 4. §. *locereque* 12. *ff. vi bonor. rapt.*

II. Ut ſint proximiores Conſanguinei, quia hoc jus competit, ſecundum gradus prærogativam & ſic patruus, præfertur fratris filio, quia potius habet jus, quod ei eripi non debet. *d. conſt. inprimis vocamus* Tiraq. *§.* 11. *gloſſ.* 6. *n.* 6. 14.

III. Ut contractus à parte alienantis fuerit validus, hinc regulariter ceſſat, ſi contractus, vel ob defectum ſolennitatis, vel ob venditorum incapacitatem fuerit nullus, puta, ſi pupillus, vel minor abſque decreto Magiſtratus alienaverit. Statuta etenim.

rum & leges, quæ agunt de venditione, loquuntur de perfecta. *l. non putavit* 8. *§. non quavis.* 2. *de bon. poss. cont. tab. Sand. decis. Fris. l.* 3. *t.* 5. *defin.* 3., non etiam emtor & venditor in præjudicium retrahentis à contractu resilire. *Struv. Ex.* 23. *thes.* 66. possunt *Sand. d. tract. defin.* 6.

VII.

Hinc proinde primo loco admittimus liberos, quia sunt de familia & consanguineorum numero habentur. *l. Filius* 12. *de suis & legit. hæred.* Nihil autem refert, an exhæredati fuerint nec ne, aut expressè paternæ hæreditati renuntiaverint, non enim hoc jus illis jure successionis, sed speciali jure proximitatis competit, *arg. l.* 10. *Si ex patronis §. fin. de bon. libert. & l. Filiusfamilias* 114. *§. Sed & si* 16. *de leg.* 1. *Struv. Exercit.* 23. *thes.* 56., nec distinguimus inter mares & fæminas *arg. l. placet* 4. *de lib. & post. exhær. & l. maximum vitium* 4. *C. de lib. præt. & exhæred.*, cùm ratio hujus Retractus patrocinetur & fœminis & generis & familiæ appellatione contineantur. *l. suggestioni* 5. *C. de V. S. l.* 4. *C. de fideicomm.* Præterea vocamus ad hoc jus legitimatum per subsequens matrimonium, quippe per hunc non minus bona in familia retinentur, honestasque & splendor familiæ conservatur ac per alios legitimè natos. *Novell.* 117. *cap.* 7. *Novell.* 89. *cap.* 9. *c.* 10. *tanta X. qui filii sint legit.*

VIII.

Liberis non exsistentibus, collaterales cognati hoc jure gaudebunt, modo ita generaliter receptum sit *Struv. d. Exercit. thes.* 57. Si autem plures ejusdem gradus sint consanguinei omnes erunt admittendi, modò res commodam divisionem recipiant, si verò non, ei competit, qui prius de retractu egit:

vel

vel provocavit, vel erit sorti res demandanda *Matthaus de Afflict. in tract. de jur. protim.* §. 1. *num.* 63. *Tiraquell.* §. 11. *gloss.* 10. *num.* 4. Retrahere autem possunt non tantùm ipsi, sed & alii eorum nomine. Sic retrahunt nomine pupillorum tutores, nomine minorum Curatores, nomine absentium Procuratores, à quibus tamen speciale mandatum requiritur, & illud intta tempus retractui à Statuto præfixum exhibendum. *Sand. d. tract. defin.* 1. neque ratihabito post tempus valet. *l. bonorum possessionem princ.* 24. *Rem rat. hab. & l. cum Filiofamilias* 5. *quis ord. in bonor. possess. serv. Tiraquell.* §. 1. *gloss.* 10. *num.* 85.

I X.

Patet igitur, quòd hoc jus ratione & favore consanguinitatis introductum extraneo competere non possit, nec eidem cedi *Gail lib.* 2. *observ.* 19. *num.* 10., Venditor etiam, quamvis ipsi sibi proximior, attamen cùm adversus proprium factum venire non possit, hoc jure non utetur. *arg. l. vindicantem* 17. *de Evict. l. post mortem* 25. *princ. de adopt.* nec is, qui interpellatus erat à venditore, ut emeret, si intra præfinitum tempus non emit, de quo notandum ex d. const:, quòd si ipse interpellatus fuerit, habeat tantùm 30. dierum spatium, si verò Tutores, Curatores, Defensores aut alii quatuor mensium spatium, nec ingratus, qui scilicet atroces injurias, vel manus impias, non tantùm ipsi venditori, sed etiam ejusdem familiæ intulit *l. generaliter* 10. *princ. C. de revocan. donat.* §. *atrox.* 9. *Instit. de injur.*, vel gravem rerum venditoris jacturam fecit *cap.* 1. *de restit. spol. & dict. constit. vers. Licèt autem.*

X. Ad-

X.

Adhæc non competit hoc jus filiis naturalibus, spuriis, nothis, bastardis, quia non sunt de familia, nec lineam à patre, sed à matre habent. *l. Lex naturæ 24. de Stat. hom.* idcirco ad bona à matre alienata erunt admittendi. *Reinking. d. tract. quæst. secund. num. 266.*; multò minus natis ex bastardis in bonis avi paterni, nam destructione antecedentis, sequitur necessariò destructio consequentis. *l. quæcunque 1. §. hujus rei de Offic. ejus cui mand.*, ideoque incapacitas originalis & radicalis pertransit in descendentes *c. firmissimè de consecrat. dist. 4.*, denique non conceditur hoc jus adoptivis, quoniam non veri, sed ficti & commentitii sunt liberi, *l. fideicommissum 76. de cond. & demonstr. & §. minorem 4. Instit. de adopt.* Filio tamen etiam patris hæredi, quamvis multi Dd. dissentiant dari asserimus, quia illud ipsi competit non jure hæreditario, sed proprio sanguinis jure *Carpzov. ad Constit. Elector. p. 2. constit. 31. defin. 11.* Locus etiam erit successorio Edicto, dum scilicet, si proximioris gradus consanguinei uti nolint, alterius sequentis gradus admittuntur. Sed hæc de primo requisito, nempe de personis sufficiant.

X I.

2. Requisitum, est à parte bonorum, quòd nempe debeant esse immobilia, vel saltem immobilibus cohærentia & non tantum bona avita & Gentilitia Germanicè **alt Väterliche Guter oder Stam Guter**, quæ ab avo, proavo, ulterioribusque ascendentibus non solùm paternæ, sed & maternæ lineæ, provenêre, cùm, & is à quo linea materna descendit avus dicatur *l. Jurisconsultus 10. §. secundo gradu 13. de grad. aff. Carpzov. ad Constit. Elect. part. 2. const. 31. defin. 14.*, sed etiam patrimonialia, id est, quæ vel semel jure successionis devoluta sunt & ita

fa-

familiæ adnexa, cùm & earum destractione decor familiæ magis ac magis vilescit. *Tiraquell.* §. 1. *gloss.* 7.

XII.

Porrò locus etiam erit Juri Retractûs in bonis feudalibus, *c. Titius si de feud. defunct. content.* 2. *feud.* 26. *Matthæus de Afflict. d. tract.* §. *tota hac lex. num.* 12. ut & in annuis reditibus: *idem autor. eod.* §. *num.* 10. *Tiraquell.* §. 1. *gloss.* 6. *num.* 4., in fructibus pendentibus & nondum à solo separatis, quia fructus pendentes cum immobilibus æquiparantur, imò quia pars fundi sunt *l. fructus* 44. *d.* R. I., in venditione usfructus, quia etiam pars fundi est, ideoque eodem jure, quo ipse fundus censeri debet. *c. quanto de jud.* indeque usumfructum constituens alienare videtur. *l. Sancimus.* 7. *C. de reb. alien. non alien.*, sed hæc procedunt, nisi statutum expressè loquatur de immobilibus, *vid. Reinking. d. tract.* 3. *num.* 97.

XIII.

Denique locum habet in venditione juris, hæreditatis scilicet, modò res aliqua immobilis contineatur, *Tiraquell.* §. 1. *gloss.* 7. *num.* 81., idem de nominibus seu actionibus ad rem immobilem competentibus statuendum, etiam de servitute. *Tiraquell. num.* 82. prædiali. Servitutes autem personales, ut usus, retractum respuunt, tum quia patrimoniales esse nequeunt, cum persona enim intereunt, tum quia ratio deficit. Ex hoc igitur secundo requisito patet, quod non procedat in rebus mobilibus qnantivis pretii. *Wissembach. D. d.* 36. *thes. lit.*, tum, quia facilè causa finalis in rebus mobilibus deficit, ut pote, quarum possessio fluxa admodum & fragilis, imò quodammodo abjecta *l. si rem mobilem* 47. *de acquir. vel amitt. possess.*, tum quia in his tanta non cadit afflictionis consideratio *l. fin. C. quand.*

C. quand. deer. & op. non eſt, niſi cum immobilibus conhæreant vel ſpecialiter ſtatuto conceſſum fuerit.

X I V.

3. Requiſitum ex multis Germaniæ locis eſt, ut res fuerint alienata ex cauſa Emtionis Venditionis, aut alterius ſimilis negotii pretium recipientis; v. g. ſi res data fuerit in ſolutum *arg. l. 4. ſi prædium C. de Evict. & l. is qui ult. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.*, vel res in dotem ita detur, ut non res, ſed æſtimatio veniat reſtituenda. *l. plerumque 10. princ. l. quotiens 16. & 17. ff. de jur. dot. Struv. Exerc. 19. th. 43. num. 4. ex 30. theſ. 14.* Si verò Statuta expreſſè tantùm loquantur de venditionis contractu: non erunt extendenda, quoniam ſtricti juris, ergo etiam erunt ſtrictè interpretanda, nec ad alia contractuum genera dilatanda.

X V.

Ceſſat itaque in venditioue invalida *de qua ſupra theſi 6.*, & ex Conſtitutione Frederici in donatione, tranſactione, & in omnibus aliis Contractuum ſpeciebus. *verſ. Prohibemus.* Sed hæc ita demùm procedunt, ſi ſcilicet contractus bona fide fuerint celebrati, ſecùs ſi per fraudem, dum fortaſſe contrahentes prætextu donationis,. aliuſve contractus, ex quo non competeret, venditionem celebraverint, fraus etenim ſemper videtur excepta. *l. Creditoribus 60. §. Lucius. 3. mand.*, ideoque retrahentes ab Emtore & Venditore juramentum exigere poſſunt, & ſi ſimulatè hoc fecerint rem & pretium perdent & applicabuntur fiſco *ex d. Conſt.*

X V I.

4. Requiſitum eſt ut intra tempus Statuto definitum hoc jure agatur. Quamobrem circa tempus retrahendi inſpicienda ſunt locorum Statuta, quæ, ſi nihil determinent ex jure communi tempus anni & diei conceſſum intelligitur. *Tiraquell.* §. 1. *gloſſ.* 10. *num.* 3. *Gail. obſervat.* 19. *lib.* 11. *num.* 11. *verſ. quod ſi per Statutum*, quam ſententiam approbatam eſſe in Camera ait *num.* 14. *cap.* 8. *X. de reſt. in integr.* Si verò intra illum à Conſuetudine præſcriptum terminum, non denuntiet emptori, nec agat de rettactu, per lapſum temporis præſtituti jure Retractus proximitatis cadit. *Matthaus de Afflict.* §. 2. *num.* 24. ex conſtitutione ſupra allegata tantùm ſunt tringinta dies à die veræ ſcientiæ & denuntiationis, procuratoribus autem dabitur, quatuor menſium ſpatia, quibus annum & diem uti dixi, mores & pleræque Conſuetudines ſubſtituerunt *alleg. c.* 8. *de reſtit. in integr.*

X V I I.

Tempus autem anni ſcilicet & diei etiam non currit, niſi à die ſcientiæ, veræ, certæ, ſpecialis & plenæ *Berlich. p.* 2. *concluſ.* 40. *num.* 15. confuſa namque & generalis notitia rei venditæ non ſufficit, cùm is demùm ſcire dicatur, qui verè & certò ſcit. *l. in totum* 76. *de R. J.* & parùm ſcire, aut nihil ſcire æquiparentur, *c. licet cauſam* §. *quanquam.* X. *de probat. Tiraquell.* §. 36. *gloſſ.* 2. *num.* 30. *& ſeqq.* Sed quid dicendum, ſciverat retrahens rem eſſe venditam, ſed neſciverat quo pretio, an ei tum tempus illud currat, affirm. cum *Reinking. d. tract. quaſt.* 7. *num.* 118., ſibi etenim, imputet quòd tali caſu non teſtatò, id eſt in præſentia judicis obtulerit, conſignaverit ac depoſuerit partem pretii, addita proteſtatione, reliquum, quàm primum de pretio certioratus fuerit ſe paratum eſſe ſolvere *Gail. lib.* 2. *obſerv.* 19. *num.* 7. Tutiſſimum tamen erit, ut re-

tra-

trahens emptorem conveniat, & ab eo verum pretium exploret, alias tempus præscriptionis annalis pro lubitu eluderet atque protraheret.

XVIII.

5. Ut justum & verum pretium de quo cum emptore venditor convenerat, offeratur. *l. Julianus* 13. §. *offerri* 8. *de act. emt.*, & omnia pacta adimplere tenetur retrahens, quia surrogatur in locum Emptoris & in omnibus & per omnia idem habetur *Reinking. quæst.* 5. *num.* 1., ut simul etiam cum pretio expensas restituat tempore contractus factas necessarias & utiles, quas ipse retrahens impendisset, etiam sumtus bibales Weinkauff / nulla autem expensarum immodicarum ratio est habenda. *l. hærede* 32. §. *item respondit* 5. *d. administr. & peric. tut. & curat. Tiraquell. de retract. convent.* §. 7. *gloss* 1. *num.* 5. Proficuum erit autem, retrahere volenti, ut quàm primùm denunciet Emptori, ut nullos sumtus faciat, *Gail. d. lib.* 2. *observ.* 19. *n.*

6. Ut sibi non in alterius commodum retrahat de quo ab ipso juramentum exegi potest.

XIX.

His requisitis omnibus ita concurrentibus, cùm non satis sit jus alicui competere, nisi id ipsum actione quadam competente experiri possit, ideo debemus considerare, quæ actio ex hoc jure detur. Datur autem ex hoc, conditio ex lege, moribus, consuetudine, prout in hoc vel in alio loco jus nititur, ad rem alienatam jure sanguinis revocandam in judicio. *arg. l. unic. ff. de cond. ex lege*, *Oldendorp. class.* 4. *act.* 41., non tantùm adversus Emptorem, verùm etiam adversus tertium possessorem, in quem Emptor alienavit, quia est actio in rem scripta ad ex-

emplum actionum ad exhibendum *arg. l. in hac actione* 3. §. *est autem ad exhib. l.* 9. *metum autem* §. *cum autem ult. quod met. caus. Tiraquell.* §. 8. *gloss.* 5. *num.* 8. *Reinking. quaest.* 9. *num.* 77. *Gail. lib.* 2. *observ.* 19. *num.* 8. *Berlich. part.* 2. *conclus.* 39. *num.* 97. *Sande decis. Frisic. lib.* 3. *t.* 5. *defin.* 13. *Wissenbach. d. disp* 36. *th.* 13.

XX.

Victus denique rem cum omnibus accessionibus restituere debet, & non tantùm fructus pendentes, sed & perceptos post oblatum pretium *l. si fundum* 2. *C. de pact. int. empt. & vent. Tiraquell. d. retract. ante* §. 3. *gloss. un. num.* 23. & venditor adjudicato retractu non priorem emptorem, sed retrahentem de pretio solvendo convenire poterit *Sande lib.* 3. *tit.* 5. *definit.* 12. Sed poterunt sibi ab hac actione cavere emptores, si scilicet curent consanguineis denuntiari; qua facta, elapso à statutis tempore nullo modo ad retractum admittentur. Summo interea Numini Maximas, pro concessa gratia, gratias, dicimus ac habemus.

FINIS.

Quàm propè Majorum venias veſtigia laudis
Et GENTILITIOS ritè ſequare GRADUS,
De GENTILITIO, quum RETRACTU bene ſcripſti,
Indicio eſt dandus JURE IN UTROQUE GRADUS.

Nobiliſſimo Domino Candidato,
Populari ſuo Æſtumatiſſimo,
gratulabundus adſcribere debuit

J. HOMFELD.

Pieris ad plauſus & cantus plectra parato:
Schönæus vult hoc, officiumque jubet.
Dum, quam ſperarat Franequera nectere, Lauro
Lugdunum illius tempora cingit ovans.
De *Gentilitii* ſcripſiſti *Iure Retractus*,
Schönæi, dignum Thema tuo genio.
Præſidet ipſa tuo Themis alma reverſa Curuli,
Tantaque Te Juvenem ſenſa referre ſtupet.
Patria Te dudum mirata eſt, Leida probavit
Et coluit mores ingeniumque tuum.
Ergo nihil reſtat, niſi, quod Te Patria Patrem,
Et faciat lætum poſt nova nupta Virum.

Hocce extemporaneo carmine Nobiliſſimi Dni Candidati, Amici individui, voto obtemperare voluit

JACOB. HAKE.

Sic

Sic leges juvat improbo labore,
Noctes atque dies ſimul, ſacratas
Evolviſſe ſinûſque tortuoſos
Summi ſive boni atque maxumi æqui,
Summi ſive mali atque ſummi iniqui.
Fortunet ſine termino & RETRACTU
Hos GENTILITIOS Tuos honores
Æternùm Tibi Maximus Brabeutes!

L. M. Q. P.

ROBERTUS CHRISTIANUS
HAKE. ANHALT.

